



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observ. in Cap. XIII. De Appell.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

tum negotii, rationes Partium, & suas. Secus est de REGULIS XXIII. XXV. XXVI. XXVII. Textus in his laudati sunt disertis. Quod dicitur Reg. XXVII. non admitti appellationem à Sententiâ secundum responsum Principis prolatâ, locum non habet, nisi cum in relatio communicata fuit Partibus, ipsaque consentirent, ut mitteretur. *Cap. 68. de Appellat. recusat. & relationib.* unicum est hoc in Titulo de Relationibus loquens. Tres Textus laudati Reg. XXVIII. accepti sunt ab Epistolis falsò adscriptis Pontificibus, SIXTO, DAMASO, & ELEUTHERIO; Quod in iis fertur, Episcopum judicari non posse inconsulto Pontifice, adversatur Disciplinæ illius ætatis, & multorum Sæculorum sequentium.

Exceptio *Regule XXXII.* dicentis, Sententiam scripto mandari debere, falsa est, Canonque laudatus abrogatus est, per *Cap. 11. de Probat.* complectens omnes Sententias Ecclesiasticas sive adversus Clericos, sive adversus alios. Quod dicit, Sententiam esse ultimum Judicis Munus, verum non est, nisi quoad Definitionem Cause; quippè ad ipsum præterea pertinet, ut Sententiæ executionem procuret. Vide *Exceptionem XIX. REGULÆ I. QUÆST. IV. Cap. V. Lib. I.*

OBSERVATIONES in CAP. XIII. de APPELL.

Postquam de Actibus Judicialibus, qui præcedunt aut sequuntur liti contestatione, quorum novissimus est Sententia, disseruit Autor, ad Judiciorum consecutiones transit, quarum præcipua est Appellatio Judicialis, cui soli incumbit, neglectâ prorsus Appellatione Extrajudiciali, quæ argumento aliena est. *Caput* hoc in *Quæstiones VII.* dividitur. *Secunda* pertinet ad causas appellationis. Omnes reducuntur ad malè judicatum, cujus refert Exceptiones XXXIV. quarum plures suas Replicationes habent. Aliæ vel falsæ sunt, Autore ipso fatente, vel ab usu alienæ, vel malè probatæ. Ad hæc Capita rediguntur Observationes in illas Exceptiones, sed prius monitum Lectorem velim, Exceptiones Replicationibus restrictas, sub Titulis singularibus exponi debuisse, quoties numerus Replicationum magnus est. Hinc, neglectis subdivisionibus, expositio obscura est necessariò: tales sunt maximè XVI. & XX. promiscuè & perturbatè Exceptiones congestæ sunt, quas ordine congruo infra notando disponere potuisset.

Canones Africani laudati in *Prima* non loquuntur de Arbitris, sed de Episcopis Provinciæ, qui à Partibus Judices electi fuerant, à quibus provocare non licebat; non quòd veri non essent Judices, sed quia Partes ipsorum electione, pollicebantur, se ipsorum Judicio ad hæsuras. Hi Canones sunt 33. & 34. CAUS. II. QUÆST. VI. Canon 34. quem laudat etiam in Replicatione *Secunda*, mutilatus est, & in eo deficit negatio. Vide *Notas Correctorum Romanorum.*

Exceptiones II. III. IV. exolvere; nam hodie licet provocare à Judicio Episcopi nec non à Sententiâ Primatis, vel Metropolitanis, & à Sententiâ Concilii Provincialis, etiam unanimi.

Quinta, Ad rem non facit, Auditor quippè in eâ memoratus, non est Judex. Idem est de *Nona* ob eandem rationem; nam Executor non est Judex: querelæ tamen locus est, si ejusmodi Officiales potestatem suam prætergreliantur.

Septima, Non est in usu, si agatur de Judice inferiore; nam si talis Judex Officiale suum condemnet, hic appellare potest.

Idem est de *Decima*, nam licet intercedere resignationi, seu aperturæ testamenti, cum hæc injustè præcepta est.

Sensus *Undecimæ* est, non licere provocare à Legibus aut Canonibus universaliter receptis. Casus singularis est. Episcopus Parisiensis instabat executioni quarundam Legum, tam Sæcularium, quàm Ecclesiasticarum contra Judæos. LUDOVICUS *Junior*, qui lucrum aliquod ex earum neglectu capiebat, ad ALEXANDRUM III.

provocavit, qui definivit, appellationem ob rationem prædictam non esse admissibilem.

Inter Exceptiones sequentes, perindè atque inter præcedentes, multæ sunt, in quibus appellatio non prohibetur, sed ejus effectus suspensus tollitur: tales sunt X. XI. XII. XIII. XIV. XV. ubi enumerantur Casus, in quibus Judicium executioni mittitur, non obstante appellatione. Res patet in appellationibus Disciplinam Regularem, aut Censuras spectantibus.

Decima sexta, Quæ pertinet ad prohibitionem appellandi antè Sententiam definitivam, *Quinque* Exceptiones habet ad unam generalem reducendas, nempe, ob gravamen ex Sententiâ interlocutoriâ ortum; quæ locum habet in omnibus petitionibus incidentibus: tot suppetunt harum petitionum exempla, quot sunt hic Replicationes. Gravamen in injustâ harum petitionum repudiatione, aut concessione consistit. Mentio hæc Sententiarum interlocutoriarum facta, ostendit, Autorem eas supra ad præparandum Lectoris animum commemorare debuisse, ubi de Sententiâ disseruit.

Quod dicit in *Decima septima*, provocari posse ab omni gravamine futuro, quod contingere potest in lite actu pendente, continetur in omni appellatione; nam Judex, à quo appellatur, nihil, appellatione pendente, innovare valet, quin attentatum perpetret.

Decima nona expositione indiget: nam, licet crimen sit notorium aut confessum à Reo, iniquum esse potest Judicium ratione pœnæ: itaque interdum appellationi locus est. Præterea notorietas facti non est semper res constans, *Cap. 14. de Appell.*

Vicesima, circa Rescripta, in quibus appellatio interdicitur, restringenda est ad casus, in quibus appellatio manifestè injusta est, aut inutilis; vel sensus est, Judicium executioni admittendum, *appellatione remota*: alioquin prohibitio iniqua esset, præberetque occasionem opprimendi unum è Litigantibus, quippè Judex sit delegatus, innoxiumque condemnare potest, vel rem litigiosam alii, quàm Domino addicere, omni prorsus remedio Gravatis ablato. Si dicatur his superesse querelam ad Superiorem, quæ appellationi subsidiaria est: respondemus, appellationem esse remedium ordinarium, facile & certum; querelam autem Superiori oblatam, esse remedium extraordinarium, difficile & incertum, quoad Receptionem; quippè Princeps aut Pontifex, à quibus solis ejusmodi commissiones emanant, difficillimè adiri possunt, & querelam nequidem visum repudiare solent.

Longius progredierentur Observationes, quæ fieri possent in singulas Exceptiones reliquas. Generatim sufficit dicere, has & præcedentes complecti casus, in quibus appellatio non habet locum; quorum alii sumuntur. 1. Vel ex parte Judicis, à quo provocari nequit; vel quia Arbitrarius est duntaxat; vel quia supremam Jurisdictionem exercet; vel quia appellatio removetur ejus Delegatione; vel quia revocavit gravamen; vel quia non est Judex; sed v. g. Auditor, vel Executor. 2. Alii ex parte Litigantium, qui polliciti sunt, se non provocaturos; vel qui appellationi propositæ renuntiaverunt, vel eam deseruerunt; vel qui siverunt tempore ad petendos Apostolos concessio aut ad persequendum prestituto; vel qui solemniter neglexerunt, vel qui tempore statuto non appellaverunt; vel qui jus illud aliâ quâcumque culpâ amiserunt. 3. Alii ex parte appellationum præcedentium, si duas consecutivas Sententia similis reproba-verit. 4. Alii ex natura Cause, quæ requirit, ut Judicium executioni mittatur, vel sine appellatione, vel non obstante ipsâ: tales sunt Cause Summarie, vel Provisionis, vel Disciplinæ vel correctionis, tales etiam illæ, quæ notoriæ, seu manifestæ in Jure vocantur.

Divisio hæc lucem procurat, occurritque ratio ex casuum, quorum connexio non percipitur, multiplicitate nascenti. Sic etiam vitantur iterationes, quæ sunt, vel iisdem, vel æquipollentibus verbis.

QUÆST.